172 380 29

FORMVLA IVRISIVRANDI, AC VOTI, QVOD PVBLICE D. O. M. IN HONOREM INTEMERATÆ Conceptionis B. V. M. nuncuparunt.

COLLEGIVM HISPALENSE D. HERMENECILDI,

Societatis Ieſu, Collegium eiuſdem B. M. Conceptæ ſine labe, Seminarium Anglicum, & Hybernum eiuſdem Societatis.

B 37 22 (172)

HISPALI,

Apud Ignatium de Lyra, Anno Domini 1653.

INDIVIDVÆ Trinitatis, & Chriſti Ieſu Nomine, cuius fidem, & ſyncera mentis pietate complectimur, & oris publica confeſſione teſtamur: Nomine Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quã Dei Matrem agnoſcimus, Angelicæ Curiæ, hominumque generis vniuerſi Reginam ac Religioſi noſtri famulatus dominam confitemur, coram vniuerſo cæleſti Angelorum, ſanctorumque cœtu; ſanctorũ præſertim Hermenegildi Regis, & Martyris, Patroni noſtri: noſtri Fundatoris, & Parentis Ignatij ope implorata: obtẽta ad hoc facultate Reuerendi admodum P. Petri de Fonſeca Præpoſiti Prouincialis huius Prouinciæ Bæticæ Societatis Ieſu, eiuſque hortatu, & iuſſu.

Præmiſſa priùs matura Cõſilij deliberatione, cõſiderata ſæculorum ſerie, in quibus viguit, vndeque ad noſtra vſque tempora pietas hæc in Dei Matrem profluxit, qua præſertim noſtra cæpit, & aucta eſt Societas; inſpectis inſuper gratiarum priuilegijs, indulgentiarumque conceſſionibus, quas de plenitudine poteſtatis Summi Pontifices Eccleſiæque Rectores Mariam Deiparam ſine labe conceptam pie credentibus impertiti ſunt; quas & ſingillatim impertit Sanctiſſimus D. noſter Innocentius Dei Miſericordia Papa Decimus: Sequuti itẽ Regis noſtri Chatolici Philippi Hiſpaniarum hoc nomine quarti pietatem, affectum, & exemplum, quibus ex animo in aſſerenda eiuſmodi Deiparæ Mariæ immunitate totus eſt, ac ſuos ad maiora ſemper laceſſit, acuitque pietatis argumenta.

De noſtra demum pietate, & affectu, ſi quid ideſt, quibus ſemper in hanc partem propenſi fuimus ſtimulante nos ad hæc obſequij officia nobiliſſimi Senatus Hiſpalenſis ordine, que a multis ab hinc annis vno omnes agmine ſequuti ſunt:

Nos Franciſcus de Guillaude Rector Collegij Hiſpalenſis D. Hermenegildi Societatis Ieſu; Criſtophorus de Aguilar Rector Collegij Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ: Bernardus Kinſmanus Superior Seminarij Anglicani D. Gregorij Papæ: Bartolomæus de Carmona ſuperior Seminarij Hyberni eiuſdem Societatis: vna cum omnibus, & ſingulis quiſque noſtris Magiſtris, Collegis, & Alumnis.

Iuramentum facimus, ac votum publice nuncupamus Omnipotenti Deo coram eius Virgine Matre, vniuerſaque cæleſti curia apud te, Reuerendiſſime P. Petre de Fonſeca noſter Præpoſite Prouincialis ſacram in primis Euangeliorum fidem teſtantes Deo Auſpice, Adiutoreque credẽdi, ſentiẽdi, aſſerendi, propugnandi, ac demum promulgãdi, ea ratione, & forma, qua no-

nobis,& licet,& par eſt, Virginem Dei Matrem Mariam, Domi-
nam noſtram infectam numquam fuiſſe originalis culpæ labe,
ac proinde omni omnino immunem peccati fœditate, quam v-
niuerſum Adægenus contraxit. Nec inter filios iræ numeran-
dam eſſe, quæ increato Dei Verbo concipiendo deſtinabatur,
Immaculateque concepit ſingulari eius, quem ſuo ingenerato
clauſit viſcere gratiæ beneficio præuenta, ne vel in primo ſuæ
Cóceptionis inſtanti originaria noxa irretiretur, Deo per Chriſ
ti Jeſu merita eam illi gratiam impendente, qua Deo ipſi gra-
tioſa, & a peccato originis intemerata exiſteret.

Juramentum præterea facimus, & vouemus, eo animo nos
omnes, ac ſingulos hanc veritatem aſſerturos, propugnaturoſq;
vt diſpendium vitæ noſtræ ſimus prius facturi, ſanguinemque
noſtrum in ſpontaneam Deo victimam profuſuri, quam vlla nos
teneat huius veritatis deſertio: parati tamen in omnibus obſe-
quia ſummo Eccleſiæ Capiti debita præſtare, quod quidem cer
tum, ac firmum eſt veritatis fundamentum.

Ad tuam ergo aram ſupplicitèr flexi, Maieſtatem tuam, Ma-
ria Jeſu noſtri Mater, quam ſo poſſumus obſequio venerantes,
enixe poſtulamus; admittere digneris hoc oblationis noſtræ Ho
locauſtum, hoc voti noſtri pignus, in odorem ſuauitatis, & amo
ris monumentum. Hoc ſcilicet gratiæ tuæ originali æternum
ſtabit Secunda Sanctiſsimi Domini noſtri Innocentij Papæ X
res omnes, atque in maiora prouehe incrementa. Tuere Cha-
tolicum Regem noſtrum Philippum, vt de triumphatis fidei hoſ
tibus a tua illa immunitate, quam ſemper propugnauit, habeat
& regnare tranquille, & fæliciter triumphare: tuã iſtam Fami
liam toto tibi corde proſtratam, miſericordiæ tuæ donis affice,
rege ſemper, ac foue, vt quæ libenti animo concepit, & eodem
vota ſua integre operetur. Hiſpali die 3. Junij. Anni 1653.